



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De Scopo Clericorum Seminarij. Cap. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

reddi faciāt; vt vel iisdem, si ita expedire visum fuerit, vel alijs, qui indigeant, eadem vt supra constituta ratione accommodet.

Indicem vnum, vel alterum librorum prohibitorum apud se habeat; vtq; nullus eiusmodi liber in bibliotheca sit, diligenter videat; tum si quem fortē in ea comperit, emendandum ijs statim denunciēt, penes quos corrigendi facultatem esse sciēt.

De Familia inferiori. Cap. X.

Quotidie mane inferior familia statim, ac surrexerit, in templum ad Missam cōueniat, nisi fortē quis necessaria officij occupatione per id tempus impediatur.

Diebus festis post prandij præstō erunt omnes ad Doctrinæ Christianæ expositionem atq; tractationem, hora quæ eis præscribetur à Confessario.

Prima cuiuslibet Mensis Dominica die, & solennioribus totius anni festis diebus Sacrosanctum Christi Domini corpus sumant; Die autem Sabbati, aut sexta feria, prout à Confessario præscribetur, quæ primam cuiuscunq; Mensis Dominicam diem antecedit, in Vigilijs item solennium dierum, eidem Confessario peccata sua confiteantur; à quo etiam præstitæ confessionis Chirographum Ministro exhibendum accipiant.

Quod ad victum attinet, iisdem regulis teneantur, quibus, & clerici.

Domo non exeant sine Rectoris, & eo absente sine Ministri licētia; domoq; exeuntes nihil secum asportēt, neq; item in Seminarium importent, in seculo eodem Rectore, vel Ministro: cum item exhibunt, aut redibunt, eorum alteri se præsentent.

Præter ea, quæ sigillatim vnicuique ex officio incumbunt, illa omnia præstābunt, quæ à Rectore, vel Ministro iniungentur; Caueant autem, nè tempus inuisibiliter consumant.

Decoro, ac modesto vestitu semper vtantur, & nigri, aut suboscuro coloris; neq; in Seminarium recipiantur, priusquam ad præscriptam normam induti

sint, deq; habitu, moribus, & ætate à Rectore probationem obtinuerint.

Famuli, nec arma tractare, aut apud se habere, nec chartis luforijs, aut talis, aut alio eiusmodi indecoro ludi genere ludere audeant.

Vitent pariter sermones dissolutiones, libros scurriles, & impuros, profanas cantiones, & alia id genus.

Omnes ad secundam mensam conueniant; & ad ea, quæ de suggestu pronunciantur, attenti, modestiam, ac silentiis accuratè seruent.

Nihil prorsus alicui extra Seminarium concedant, quod ad rem familiarem, & ad cibum, vel potum attinet, etiam si minimum sit, non obtenta venia à Rectore.

Ne cum clericis familiaritatem inueant; eos tamen vbicunq; omniq; tempore debito prosequantur honore. Nihil illis sub quouis prætextu dent, vel ab eis accipiant: qui secus fecerint, graui pœna arbitrio Rectoris mulctentur.

Si in aliqua re defuerint, aut Seminarium regulas violarint, eiusdem Rectoris, aut Ministri arbitrio puniantur; contumacibusq; tum aliqua mercedis pars subtrahetur, tum iisdem etiam si opus fuerit, eiiciantur.

P A R S T E R T I A

Quæ ad Clericos Seminarium pertinent.

De Scopo Clericorum Seminarium.

Cap. I.

Adolecentes, qui singulari Dei beneficio sunt delecti, vt in Seminario instituantur, id potissimum intelligere debent, cuius gratia Concilij Tridentini decreto Seminarium instituta sint; & intelligentes, sepius animo repetere; omnesq; neruos intendere, vt illud diuina ope suffragante, ad animarum salutem, ad Ecclesiæ utilitatem, & Pastorum solatium consequantur.

Quod si qui propter improbitatem, aut negligentiam, illud minus obtinebunt, aut quia sua ipsi sponte ab instituto Clericali vitæ recedat, aut suo vitio à Seminario expellantur, vel Episcopo

600

suo parere nolint, in ijs rebus, quæ ad eius Ecclesiæ vtilitatem spectant, cuius sumptibus aluntur, & educantur; grauius peccabunt, atque à Deo, tanquam alienæ facultatis vsurpatores, accerrimè punientur.

Sunt igitur ea potissimum de causa Seminaria erecta, vt in ijs boni strenuè operarij ad curationem animarum, quas suo sanguine pretiosissimo Christus redemit, instituantur; & ij quidem adolescentes (qui ob ætatem, cum tenera sit, & procliuior ad voluptates, & flexibilis etiam ad bonarum rerum impressiones admittendas in operibus virtutum erudiri debent) vt eam vitæ perfectionem adipiscantur, quæ in ijs, qui Doctores populorum futuri sunt, elucere debet, & seuerioribus disciplinæ legibus coercendi.

Cum igitur duo precipuè in Sacerdote, & animarum Pastore requirantur, probitas videlicet, ac doctrina; earum vtraque in Seminarijs est comparanda. At sicut probitatis maior est necessitas, quam Doctrinæ; sic illis in eius studio magis est elaborandum: cum præsertim acquisitio virtutum, in vniuscuiusque assiduitate, & industria, potiusquam in Rectorum, aut præceptorum diligentia sit posita; ita vt nisi quis laborem adhibeat, non multum, aut nihil illi aliorum vigilantia sit profutura.

Quamobrem vnusquisque sit ea mente, ac voluntate, idque sibi quotidie proponat; vt omnino velit in bonum Ministrum pro huius Ecclesiæ Mediolanensis adiumento euadere; seque Deo iuuante, purum ab omni peccati labe conseruare: sic enim affectus, multò facilius Doctrinæ cognitionem accipiet, maiore tum suo, tum cæterorum emolumento; Beneficijque magnitudinem agnoscens, quòd illi tam præclara sit oblata facultas, toto animo singulis diebus Deo se offerat; rogetque, vt se ad prædictum finem idoneum efficiat operarium.

Quòd si quis decursu tēporis de statu mutando consilium caperet, etiam si de Religione ingredienda cogitaret, de eo Reuerendiss. Archiepiscopum, vel Rectorem statim certiore faciat.

Peccaret enim, si in Seminario hoc animo viueret, in alium finem consumens, quod ad operarios solum pro huius Ecclesiæ auxilio sustentandos est constitutum.

De pijs exercitationibus. Cap. I I.

Quotidie mane singuli semihoræ spatio mentali orationi vacent; qua perfecta, Matutinum officium Beatæ Mariæ Virginis, & Primæ recitent; Tertiarum verò, Sextarum, & Nonarum, dum Missæ sacrificio intersunt, horas; Vesperarum, & Completorij, vespertino tempore post scholas deuotè persoluant.

Singulis diebus omnes antequam Bradam adeant, Missæ sacrificio intersint, eiq; vicissim inseruiant. Cum verò Sacerdos, secreta quæ vocantur, recitabit, horis absolutis, si quod tempus superfit, Missæ Mysteria piè meditentur, Coronam ve, aut Rosarium dicant, prout à Confessore expedire iudicatum fuerit.

A prandio, & cœna in Ecclesiam recta pergant, ibiq; orationem Dominicam, & Angelicam salutationem secretò quinquies dicant.

Vesperis post recreationis tempus, signo campanæ dato meditationis rationem reddant; tum in locum constitutum conuenient, vbi futuræ meditationis argumentum accipient.

Quotidie Vesperis per quartam horæ partem conscientiam diligenter excutiant.

Dominicis, reliquisque diebus festis in Ecclesia Seminarij Missæ maiori, ac diuinis officijs intersint; illis tamen exceptis, qui Metropolitanam obibunt, vt altari ministrent, cæterasque sacras functiones exerceant.

Confiteantur omnes Seminarij Confessori peccata sua, saltem prima quaque, & tertia cuiusque Mensis Dominica diebus præterea festis Christi Domini, B. Virginis Mariæ, Sanctorum Ioannis Baptistæ, & Apostolorum, & Sancti Ambrosij, omnibusque Dominicis Aduentus, & Quadragesima.

Qui verò sacris ordinibus initiati sunt, semper